

1224.

1298 d. 28 Mars.

Arnö.

Ärke-Biskopen i Upsala NILS ALLESSONS Bref om den med arfvingarne efter Magnus Johanson träffade öfverenskommelse angående en i hans testamente stiftad Vicaria i Sko.

A. 3. b. 1.

Omnibus presentes litteras Inspecturis, NICOLAUS miseracione diuina Archiepiscopus vpsalensis, salutem in domino sempiternam, Tractantibus nobis de testamento domini Magni Joansun bone memorie racione, exequcionis testamenti ipsius ab eo nobis facte, & de perpetua vicaria, in sko quam & per speciales suas litteras, & in suo disposuerat testamento, aliquid finaliter intendentibus stabilire, heredes eius & responsales ipsorum, silicet dominus Johannes angelus, Fulko Joansun, & dominus Joani Ingualdstün responsalis eiusdem, & dominus Magnus gregorissun Responsalis filij sui Petri consenserunt, vt uoluntas domini Magni joanssun supradicti quo ad vicariam predictam per omnia inuiolabiliter permaneret, & perpetue robur optineat firmitatis, superadditis condicionibus infrascriptis, videlicet quod premissi heredes, & eis inmediate per carnis propagacionem hereditario jure succedentes potestatem habeant simul presentandi personam ydoneam ad vicariam predictam domino vpsalensi qui pro tempore fuerit, ad quem spectat institucio vicarij memorati, Jtem quod de duabus missis que prebendario ibidem ministranti, erant relicte in littera domini Magni Joansun supradicti, dicende pro prebendarij ipsius libito, volunt heredes, vt altera illarum dicatur de Requiem pro defunctis, Jtem quod semel in septimana teneatur ipse prebendarius dicere vigiliis Nouem leccionum preter illas que in littera Domini Magni sepe dicti inponuntur eidem, Jtem quod semel singulis annis celebret anniuersarium eiusdem domini Magni Joansun, domini Karoli Erlendsun, & omnium predictorum heredum simul, & quod eorum nomina inscribantur in Canone missalis illius altaris ad quod deseruit prebendarius predictus, ac eciam in missis suis omnibus, alias vbicumque cellibrauerit deuote & diligenter memoriam habeat eorundem, Jtem quod bona pro dicta vicaria deputata non alienentur, vel permutentur sine nostra, vel successorum nostrorum, ac heredum predictorum licencia speciali, Jtem quod prebendarius ibidem deseruiens seruientem habeat clericum vel laicum, in expensis monasterij predicti sko, & ipsi prebendario dentur a dicto monasterio sko, valor sex marcharum argenti puri in moneta vsuali singulis annis, pro vestimentis suis, jta quod, dictus prebendarius, vltra valorem sex Marcharum predictarum nichil possit, pro se, vel suo seruiente, preter victum petere a monasterio memorato, Solucio autem predictarum sex Marcharum argenti fiat hijs terminis, videlicet quod valor duodecim orarum argenti in octaua pasche,

valor duodecim orarum argenti, in crastino beati Johannis bapstite, valor Duodecim orarum argenti, in Crastino beati Michaelis, & valor duodecim orarum argenti in Circumcisione domini, absque diminucione vel dilacione qualibet, soluantur prebendario memorato, Si autem condiciones hic apposite, per dominam abbatissam & conuentum monasterij sepedicti sko seruate non fuerint, consenserunt expresse heredes sepepominati, & volunt quod dicta vicaria cum omnibus condicionibus per ipsos appositis pleno jure transferatur ad ecclesiam vpsalensem, vt sit vna cum voluntate ipsorum heredum, voluntas domini Magni Joanssun sepedicti prout in littera sua super hoc confecta continetur, per omnia compleatur, In cuius rei testimonium sigillum nostrum, & sigilla, domini Johannis Angeli, domini Johannis ingualdsun, Fulkonis joanssun, & domini Magni gregorissun, necnon & sigilla predicte domine abbatisse & conuentus memorati Monasterij sko, qui huic ordinacioni per omnia Consenserunt, presentibus snnt appensa. Actum apud arnø anno domini Millesimo. Ducentesimo Nonagesimo VIII°. Feria sexta, ante dominicam Palmarum proxima.

Sigillet N:o 1 mycket skadadt; N:o 2—7 bortfallna, remsorna kvar.

1225.

1298. d 2 April.

Prestmannen MATTS OLOFSSONS ifrån Årby Testamentariska anordning af sin qvarlätenskap.

A. 3. c.

IN nomine patris & Filij & spiritus sancti amen, Ego MATHIAS presbiter filius condam OLAUI de asby graui detentus infirmitate, De bonis meis patrimonialibus Testamentum meum ordino in hunc modum, Fratribus predicatoribus Sictonie apud quos eligo sepulturam confero decem marcas denariorum pro quibus eis deputo unam oram terre in Karlaby jta quod heredes mei dictam terram redimendi infra annum habeant potestatem Quod si non fecerint volo vt anno elapso fratres de predio prout eis uisum fuerit libere habeant ordinare, Jtem ecclesie Witboheredhe do dimidiam marcam den., Jtem filie fratris mei ingifridi do tunicam meam blauiam, Jtem ingualdo filio fratris mei Nicolai do sellam meam & frenum meum cum calcaribus Jtem domino iohanni in gren do dimidiam marcam den., Testes autem istius ordinacionis fuerunt infrascripti, videlicet dominus iohannes de gren, fratres Bernardus & albertus, Rangualdus frater meus, Olauus, frater condam domini johannis de gren & alii plures, Quia vero sigillum proprium non habui sigillo prioris sictoniensis & domini, iohannis de gran presentes supplico roborari Actum anno domini Millesimo Ducentecimo Nonagesimo octauo Feria quarta ante phaska.

Sigillet N:o 1 bortfallet, remsan kvar; N:o 2 något skadadt.